

### Satisfactio A

Satisfactio est peccatorum causas excidere et suggestionibus eorum aditum non indulgere.

Augustinus in soliloquiis.

### Satisfactio B

De quotidianis brevibus levibusque peccatis sine quibus vita hec non ducitur, quotidiana fidelium oratio satisfacit. Eorum enim est dicere: Pater noster qui es in celis, qui iam regenerati sunt ex aqua et Spiritu Sancto. Delet hec oratio minima et quotidiana peccata, delet etiam illa a quibus vita fidelium, etiam scelerate gesta sed premitendo melius mutata discedit.

Augustinus in encheridion capitulo 71.

### Satisfactio C

Nequaquam satisfacimus si ab iniquitate cessamus, nisi voluptates quoque quas dileximus e contrario oppositis lamentis insequamur.

Gregorius in pastoralis.

### Satisfactio D

Oracione propiciatio Dei queritur, ieiunio concupiscencia carnis extinguitur elemosynis peccata redimuntur, simulque per omnia Dei imago in nobis renovatur.

Leo papa in sermone de ieiunio.